

SPECIMEN PHILOSOPHICUM

*De*

*Differentia notionum instrumentalium &  
realium.*

---

CUJUS PARTICULARAM III.

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PUBLICO PROPONIT EXAMINI

*M. GABR. ISRAEL HARTMAN,*

*Philosophiae Theoreticæ Docens, Amanuens. Biblioth. nec non  
Reg. Societ. Oecon. Finl. Membrum & Secretarius  
Secundus.*

RESPONDENTE

*JOHANNE ADAM EDMAN*

*Stip. Reg. Tavast.*

*In Auditorio Majori Die XV Dec. MDCCCIV.*

*heris a. m. solitis.*

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS,*

sistentia, indole, &c. quidquam scire possumus, sed tantum cogitando relationes possibilis videre & detegere, quas de rebus sub ea conditione predicate possumus, ut antea scimus rem revera eiusmodi esse, cujusmodi illam cogitaverimus, i. e. quatenus cum Idea, quam ita contulerimus, sit similis, ut quid de hac, etiam de illa dici possit.

Res sunt, qua tales, semper singulares, idæque, quæ res repræsentant ut fini, eodem modo se habent, notiones autem instrumentales sunt ea ratione universales, quod æque illi rei, ubi similitudinem sibi inveniunt, ac huic, respondent, non tamen quod per se sunt aliis indolis ac illæ. Littera semper est singularis quando per se consideratur, sed usus respectu universalis est, quoniam ita in uno verbo scribendo, ac in altero ponî potest. Ac, ut puer, in formandis litteris, jam antea, quam quidquam continui scribere incipit, itaque antequam experiendo litterarum in verbis relationes novit, tentare potest, quatenus earum figuræ inter se diicreperint aut convenient, ita omniō Mens valet notiones suas inter se conferre, illas transponere, dividere, componere e. s. p. illarumque relationes observare, antequam sciat an sint res de quibus hæc omnia aliqua ratione prædicari possint, nec ne: sed cum obvenit res, quæ notioni alicui earum respondeat, statim cognitas sibi habet ejus rei plures relationes, quatenus illas antea inter notiones in abstracto perspexerit, quamquam hæ notiones per se non attineant ad res ut sunt.

3:o Fuerunt quidem, qui putarent signa externa esse nobis ad cogitandum per necessaria; attamen res summatim sumta longe aliter se habet. Pluribus multo notionibus in cogitando utinur, quam quibus signa externa adnexa sunt; quod patet, tam ex ipsa rei indole, quia inter notiones & signa nullus est nexus necessarius, quam ex quotidiana experientia, quæ testatur verba saepè nos deficeret. Cogitationes, si vana verba non faciamus, a verbis leige lateque diversæ sunt,

E quam-

quamquam eorum usui ita adsueta sumus, ut cogitationes nostras quasi a tergo insequantur. Sed ejus rei causa credere, verba esse ad cogitandum necessaria, idem omnino est, ac putare, digitum naso imponere esse ad rem accurate pendendam necessarium, quoniam quisquam eidem adluetus sit, aut ire pedibus ad bene cogitandum, quia Rousseau dicitur ita fecisse, cum opera sua immortalia cogitando elaboraret; e. s. p. Nonne, quæro, natu surdi, hincque muti tam bene cogitant quam illi, qui auditu & usu linguae fruuntur? aut nonne illi, jam æque bene cogitant, antequam arte, a Petro Pontio Hispano u) inventa, loqui didicerint, ac postea, quando verba proferre valeant? Sane ita est. Notio enim, quamquam signo externo caret, cogitationi bene inservire potest; signum autem sine notione nullius omnino est pretii. v)

u) Vide de hoc homine, & de arte surdos & mutos loqui docendi, nec non de aliis, qui de illa arte scripsierunt &c. MORPH. Polyh. litter. Lib. II. Cap. III. & Lib. IV. Cap. I.

v) Quod LOCKE (B. IV. Ch. 5. §: 4 &c.) dicit: *That most Men, if not all, in their Thinking and Reasonings within themselves, make use of Words instead of Ideas, &c.* potius meam firmat sententiam, quam veritatem ejus imminent. Nam, ex contextu cogitationum ejus, luculenter patet, illum per *Words* sive *Verba* hoc loco intelligere non sola verba, sed verba cum notionibus suis instrumentalibus conjuncta, (quamquam haec notiones apud plerosque valde vacuae & inanæ sint); præter quod nullus omnino sensus in verbis, ut dum legimus librum, lingua utique nobis incognita conscriptum.

#### §. 4.

Ex dictis constat, sequentia in Logicis, ubi regulæ normæ vere cogitandi tradantur, esse notanda:

1:o Definitiones, quibus notiones universales determinentur, minime res ipsas determinare; nec abillis ad res conclusionem valere. Definitio Spiritus,

Spiritus Cartesiana, ut etiam Leibnitii & aliorum, non ex pro spiritu, ut in se sit, sumenda, nec inde ratiocinando deductæ propositiones pro veritatibus realibus habendæ. Ex quaque quidem definitione, ut ex unaquaque notione, ex gr. ex notione *Temporis* & *Spati* Kantianorum, plures, saepe etiam infinite multas propositiones sive enunciationes deducere possumus, (ut fere omnis eorum doctrina de elementis dynamicis, &c.) sed totum hoc systema propositionum, majore non gaudet veritate, quam definitio sive notio, unde deductum est, & id cum hac, una stat & corruit.

2:o Quando judicamus, minime duas notiones conjungimus aut separamus, quamquam ita docere videntur fere omnes Logici inde ab Aristotele, usque ad Kiesewetter & ceteros. Nam ea, quæ non, in subjecto judicij, sive idea rei, de qua judicium ferimus, jam insunt, nulla ratione ei subjecto sive rei tribuere possumus, & contra. Nobis judicaturis una tantum idea, scil. illa de qua sit judicandum, opus est; judicare enim idem omnino est, ac animadvertere, cernere, observare, an sit certum aliquid in idea oblata, nec ne. Libenter quidem fateor, saepissime accidere, ut illud notione quadam universali animo exhibeamus, quod in idea rei querendum sit; sed ut, in evolvendo lexico sive vocabulario quodam, eo scil. consilio, ut videam an sit in illo vocabulum certum observatum, non possum dici aut vocabulum illud lexico adjicere, aut e lexico excludere, quando locum ejus inspicio, illudque ibi esse, aut non esse video, sed tantum illud invenire vel non invenire; ita quoque in judicando de re quadam, Ideæ ejus rei nihil adjicimus, nec partem quandam ei adimimus; sed tantum observamus, aut invenimus, utrum insit illud, quod queramus, in re, an minus. Res vero

longe aliter se habet, quando notionibus instrumentalibus & verbis excipiendum sive exprimendum est nostrum judicium. Tunc scil. debemus duabus notionibus sive verbis diversis ut: altera, tanquam signo totius idæ de qua judicium latum sit, (quæ notio aut terminus fit subjectum enunciationis sive propositionis); altera tanquam ejusdem idæ partis signo, quam vel inveniendo vel minus, judicium tulimus, (quæ notio aut terminus est prædicatum enunciationis). Subiectum igitur & Prædicatum in propositionibus, aut hæ sunt tantum notionibus instrumentalibus intra nos propositæ, aut extra nos verbis sive terminis expositæ, semper sunt diversa, duæ scil. notiones, quoque termini diversi; sed in mente, quæ judicat, semper in una idea continentur. Pertinet itaque doctrina de subiecto & prædicato, quatenus pro diversis habentur non ad cogitationem propriæ dictam, sed tantum ad notiones instrumentales, quibus idea secunda conficitur, & ad terminos, quibus cogitata nostra extra nos ponimus.

3:o Quando subiectum, in propositione quadam, sumitur cum conditione, vel ubi de illo dicitur omnes & quidam e. s. p. attinet id tantum ad verba sive terminos, raro ad notiones in universum sumtas, nunquam ad ideam realem vel illam, quæ loco realis nobis est, & de qua judicamus. Subiectum judicii semper est tale, quale per ideam suam est representatum, nam eatenus illud tantum cognoscimus; sed ubi non invenimus notiōnem instrumentalem aptam ad illam ideam designandam, præfertim verbis certæ lingue notatam, pluribus notionibus & terminis uti cogimur, si Ideam secundam æqualem primæ facere volumus, & propositionem ei respondentem proferre: ita scil. ut nec plus nec minus debito contineant notiones & verba, quam & eorum

rum exemplar in mente contineat, quod est idea, quam vocavimus *primam*. Exempla in omnibus fere libris existant, ubi de judiciis & propositionibus agitur.

4:o Ex modo dictis constat, nulla omnino judicia esse particularia, quamquam ob defectum vocis idoneæ, propositiones particulares existunt. Sed omne judicium est aut universale, quando subjectum est notio instrumentalis, quoniam quod de notione valet, valet ut notio ipsa; aut singulare, quando ideam realem respicit.

5:o Judicia universalia omnia, respectu rerum ipsarum, sunt hypothetica, sive in hypothetica resolvi possunt. — In quoque enim eorum quasi dicitur: si res ejusmodi vel hujusmodi est, ita aut aliter se habet. Cum dicimus: in quoque triangulo rectangulo, est quadratum lateris angulo recto oppositi, æquale quadratis ceterorum laterum; nihil aliud dicimus, quam: Si obvenit vel cum obvenit triangulum rectangulum &c. Quod etiam est quasi criterium, quo possumus distinguere judicia universalia, b. e. de notionibus instrumentalibus tantum lata, a judiciis, quæ res spectant. — Idque adeo, ut etiam valeat de judiciis maxime universalibus, nullis omnino exceptis, ut de principio contradictionis, quod recte his verbis exponi potest: Si quid est, non potest idem simul non esse: sed aliquid esse, hinc non sequitur.

6:o Distinctio, quam inter Judicia analytica & synthetica fecerunt, & tanti aestimaverunt quidam Philosophi, respicit tantum verba, non cogitata, minime res ipsas. Judicia per se non sunt nisi analytica; nam in omni judicio tantum observamus, utrum sit certum aliquid in Idea oblata, nec ne. Sed quando, per notiones instrumentales & verba, judicium nostrum expondere volumus, maxime interest, qualibus notionibus &

verbis uti aut possum aut velim. Scil. in penuria notionis aptæ, cui verbum sive signum externum debitum subnatum sit, notionem, cum verbo suo, minus aptam, adhibemus, quæ aut minus, aut magis debito continet. V. gr. ex Ornithologia accepi notionem generis cuiusdam avis, quæ notio plures partes sive notas non habet, quam quæ ad rostrum avis pertinent, & ita sunt comparatae, ut avem ejus generis ex his notis, ut ex signo aut numero quodam imposito, quasi esset nomen avis in rostro ejus inscriptum, agnoscere possum, quando mihi in re obvenit. Videns vero avem, non solum rostrum ejus video, sed multa etiam alia ei propria, ut magnitudinem, colorem, figuram & situm partium, & plura ad illam, genusque illius pertinentia; sed cum illam describere volo, non est mihi cum aliis hominibus alia notio & nomen commune, quam illa & illud, quod in Ornithologia legi, quo uti possum, quando alios certiores facere volo, de qua ave loquar. Tum certe non nisi propositionibus syntheticis meam mentem aperire possum; scil. nihil eorum, quæ de illa ave dico, est in notione ejus, aut sub nomine antea comprehensum; tamen in mente mea nihil adpono, quod non in idea avis reali iam insit, e. s. p. Quis etiam est, qui non intelligat, nos una lingua, per propositionem analyticam idem iudicium efferre posse, quod, quando alia usi sumus lingua, per propositionem syntheticam prolatum fuerit?

Etiam in universalissimis & maxime necessariis propositionibus & judiciis res eadem est & manet. Quod de nihilo & aliquo prædicamus, in ideis eorum certe esse debet; & unde hæc ideae, nisi inde, unde omnium rerum ideas hausimus, nempe ex experientia? Cum igitur res ut extensas & durantes experimur, sane non extensionem nec durationem illis adjicimus, sed illam a hanc simul cum rebus ipsis accipimus.

For-

Forsitan erunt, qui mihi hoc dicenti rideant, quia amant dicere, certa prædicata ex ipso facultate nostra cognoscendi oriri, & ipso usu ejus facultatis, objectis adiici, itaque non ad objecta pertinere, nisi quatenus a nobis cogitentur aut percipientur. Sed cum his alio loco disputatio est instituenda. Interim observandum est:

Zo Conclusionem respectu originis idearum valere non a parte ante, sed tantum a parte post (ut ajunt Scholastici). Data idea reali, animadvertere & propositionibus exponere quidem possumus ea, quæ in illa idea continentur, ideam vero ipsam creare, nobis non est datum, nec ab illa ad originem partium ejus conclusio valet, nisi quatenus in ipsæ ideae ortu data & manifesta est. Data quoque notione universali, cogitando possumus relationes ejus ad alias notiones animadvertere, & alias sub illa ratiocinando subsumere; sed postulare aliquid universalioris tanquam veri & certi, concludendo ab illa, est stulti non sani hominis; nam non veritas sed tantum hypothesis incerta ea ratione elici potest. — Si igitur inessent duo omnino diversa in objectis obvenientibus, sive potius in ideis eorum, alterum scil. absolute univiale & necessarium, alterum vero non nisi singulare & accidentale; certe possemus illis isto modo uti, quo omnibus notionibus cogitantes utimur, sed ad originem illorum ab illis concludere non est licitum. Nam pone quod datum est in re, non nisi operationum instrumentalium venire quodammodo possumus, & in illis nihil realis, omnino secundum tritam illam regulam: *posito consequente, non ponitur antecedens*, sed tantum frustra postulari potest x). Quare nihil est quod dicant spatium non ad res ipsas, sed tantum ad nostram sensualitatem attinere, usque dum quispiam videat ideam spati*ii revera e sensualitate nostra oriri, i.e. usque dum*

experiendo, & non tantum concludendo, id invenerit,  
quod certe adhuc nemini contigit.

x) Nam pro certo a priori haberi non potest, tertium non datur posse.

### §. 5.

Ars disputandi, sive Dialectica veterum, mater fuit Logices, ut hæc adhuc inter nos vivit vigetque, & filia os & vultum matris nobis adhuc ostendit. Ut vero cognitum habemus, quantum ars disputatoria, qua alius aliorum dicta refutare, tuaque defendere & demontrare valeat, a Sophistis græcis, ut etiam a multis sectæ megaricæ asseclis, & pluribus adhuc apud veteres, elaborata & tere perfecta fuit; ita quoque constat, cunctam hanc artem illorum, verba tantum & notiones instrumentales respexit. Videas, si de hac re dubites, eorum nugas, syllogismos cornutos, occultos, mentientes, calvos &c. apud illos, qui de hac re scriperunt y), & facile concedas, Dialecticam illorum, non rerum cognitionem, nec veri inventionem, sed solum sententiarum suarum, pro lubitu acceptarum, defensionem artificiosem spectasse. Disputabant de rebus, non ut cognitionem rei exponerent, sed ut aliorum dicta refutarent, &, ut in castris armis, ita in philosophia syllogismis, adversarium suum vincerent, & vanam victoris gloriam aportarent. Omnia hominis causa; nihil veritatis.

y) E. gr. apud BRUCKERUM Hist. crit. Philos. Tom. I pag. 613 & 624.

Quando vero boni viri, sua, veritatis ipsius causa, cogitata, aliis tradere, illaque contra fallacia ratiocinia sophistarum defendere, voluerunt, necessarium illis fuit, nugas eorum nudare, & regulas inquirere & exponere, ad quas ver-

ba

ba & notiones, quibus ea, quæ cognoscunt homines, cum illis communicare velint, ordinanda & redigenda sint; ut non solum impetus adversariorum sustinere, eorum conamina decipientia avertere & funditus evincere, sed etiam alios, auditores & lectores, de veritate dictorum evincere, possint. Id quod nemini, ut Aristotelis, contigit. Invenit ille modum, quo verba inter se conjungere debemus, ut, cum de primis præmissis conveniat inter homines, nihil sane contra illa dici possit, sed omnes illis concedere cogantur. Scil. observavit in eo efficiendo opus esse tribus rebus & operationibus: primo: *verbis*, quibus eadem notionem adnexam habemus; secundo: *propositionibus* sive *judiciis*, in quibus duæ notiones sive verba aut conjunguntur affirmando, aut separantur negando; & tertio: *Syllogismis*, quorum ope propositiones ita inter se connecti posunt, ut tertium judicium, respectu terminorum, ex duobus certo eliciatur. Sed intelligens, hoc modo & ordine incipendum esse ab universalissimis, quæ inter omnes constarent, & quæ propterea nulla egerent demonstratione, quæsivit & investigavit notiones universalissimas, quas categoriarum nomine insignivit &c. En originem Logices artis! lane artis nomine dignæ; quia mechanicam tantum quandam terminorum & notionum structuram, æque ac grammatica, docet. — Hinc omnia præcepta de Definitionibus, Axiomatibus, Postulatis, Propositionibus, Syllogismis, Demonstrationibus, Scientia, Vero, & Certo, in logica obvenientia. Quæ vero omnia, ut illa ibidem existant, utique non respiciunt cognitionem & veritatem, uti mox exponam, sed cognitionis expositionem & defensionem; ut recte caput ultimum logices agat de disputatione, ut sine totius operis,

Mirum non est, quod Aristoteles, Artis suæ novitate & certitudine captus, ei ita indulxit, ut illam pro fonte omnis certi & veri haberet & exclamaret; sed maxime est mirandum, homines hactenus verum ejus pretium non perspexisse;

F

fe; cum jam Epicurus tantopere de hac re in sua canonica monuisset \*), & Stoici, totam philosophiam cum ovo comparantes, quasi inspiratione quadam, Logicam cum putamine sive testa contulissent, physicam autem & ethicam cum albumine & vitello; 2) scil. defensio philosophiae in illa nititur, non philosophia ipsa. Quod ut clarius eluceat observanda sunt, quae sequuntur.

\*) Conf. CHA. A. HUMANNI Conspect. Reip. Litter. Cap. V.  
§. XXVI.

¶| Guillelm. Du-Val incipit Praefationem sue Synopseos anal. univ. doctrinæ peripath. (P. II.) his verbis: "Praecclare quidem & meo judicio sapienter Stoicæ disciplinæ principes, Philosophiam, ejusque partes varias populari quadam ratione, atque ut loquitur passim Aristoteles, *ως τύπω*, describere olim aggressi, eam tripli- ci potissimum imagine ac similitudine, Agri scil. Ovi & Animalis, expresserunt. Cum enim illi totam Philosophiam dicerent esse ve- luti pulcherrimum quandam & feracissimum agrum, multis quidem resertum flosculis & fructibus, sed forti sepimento undique circum- vallatum; *sepern* quidem aiebant esse Dialecticam; terram vero, flores, & arbores, Physicam; fructus denique, Ethicam. De ovo, itidem. Sic enim illi cum ovo posse Philosophiam comparari dicebant, ut exterior pars, id est, *putamon* sive *testa*, Logicam; albumen Ethicam; interior vero pars, i.e. vitellus, Physicam re- ferre videretur. Cum animali autem longe perfectius ac elegantius. Osse enim & nervos esse Logicam (en falso imaginem! dicere debuerant: cutem, pilos, dentes, ungues & cornua esse Logicam); partes carnosas &c. Ethicam; animam vero Physicam &c."

¶| Quod de ideis s. notionibus, ut claris, distinctis &c., & de terminis Logica docet, pertinet tantum ad id, ut si- gatur certa notio certo verbo; quoiam frustra & vana est o- mnis disputatio, nisi antea inter disputantes de verbis eo- ramque significatione convenit. Hinc *Definitiones*, pro funda- mentis veritatis, consideratæ. Per se vero patet, nullam i- deam rei, ut rei, veram definiendo oriri, sed tantum com- municari & verbo affigi. Rem antea cognoscamus quam de- nomine ejus convenire possumus, necesse est; nec potest ali- quid,